



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxxviii [i.e. xix]. Phantasia est potentia materialis cognoscitiva
objectoru[m] o[m]niu[m] sensuu[m] ipsaru[m]q[ue] se[n]sationu[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

saporis est corpus sapidum, id est siccum siccitate terrestri, à calore concoctum, ab humido aqueo liquefactibile, ac per hoc in hoc humido diffusivum saporis: hi liquores sapidi contrahunt saporem per hoc, quòd in humido aqueo liquefactum sit aliquod siccum terreum; imò sunt ipsum humidum, in quo liquefactum est tale corpus; adeoque causa materialis saporis.

XVIII. TACTVS organum diffusum est per totum viventis corpus. Objectum illius sunt qualitates tangibiles, quales primò sunt calor, frigus, humiditas, siccitas; secundò durities, mollities, asperitas lævitas; tertio qualitates quædam doloriferæ, aliæquæ innominatæ, ortæ ex convulsione vel compressione partium animalis; quartò impulsus.

XIX PHANTASIA est potentia materialis cognoscitiva, ordinata ad percipienda objecta omnium sensuum exteriorum ipsasquæ sensationes; unde & sensus communis dicitur. Re unus est hic sensus internus; etsi enim unâ cerebri parte læsâ impediatur in ordine ad aliquas operationes v. g. rememorationes; & non in ordine ad aliàs v. g. imaginationes ob-

q

jecto-

jectorum præsentium, non arguit id tamen
diversas cerebri partes, distinctorum sensu-
um internorum, memoriæ nempe sensiti-
væ, æstimativæ, & sensus communis, diver-
sa esse organa, sed ideo id accidit, quòd in
una parte copiosiores spiritus, major siccita-
tas, meliores dispositiones necessariæ magis
sint ad has, quàm alias operationes, adeoque
hac dispositionum copiâ, in tali parte dimi-
nutâ vel turbatâ, redditur anima ineptior ad
tales, quàm alias actiones. Officio multi-
plex est: quatenus cognoscit objecta sen-
suum externorum præsentia, dicitur sensus
communis: quatenus conservat species sen-
sibiles, per quæ eas cognoscit objecta absen-
tia priùs cognita, dicitur memoria sensiti-
va: quatenus cognoscit objecta aliàs nun-
quam cognita ad similitudinem quandoquæ
cognitorum, dicitur imaginativa: quatenus
disjungit, combinatve objecta contra quòd
naturaliter dividi, aut combinari possunt di-
citur phantasia: quatenus cognoscit obje-
cta sub ratione quadam insensata conveni-
entiæ vel disconvenientiæ v. g. dum ovis
hanc herbam apprehendit sibi ad pastum
salutarem, dicitur æstimativa. Datur hic sen-
sus

sus non tantum in hominibus, ut colligere est ex eo, quod nimio studio doleat caput, impediatur concoctio, quod non fieret, nisi una cum intellectu semper operaretur phantasia, immediate ab organo corporeo, spiritibus vitalibus & animalibus dependens, quibus absumptis læditur caput: sed etiam in brutis; dum enim canis videt baculum, fugit, quia meminit alterius baculi & per illum causati doloris & sensationis, quæ sensibus externis adscribi nequeunt, utpote per quos non percipitur sensatio ipsa v.g. per Visum visio, per Tactum tactio; licet enim in ratione actus proportionata sit sensatio sensui externo, est tamen ei in ratione objecti improportionata. Organum illius in animalibus perfectis est cerebrum secundum substantiam suam, vel secundum partes solidiores, membranas, venas, fibras &c. in sententia negantium, ipsam cerebri substantiam esse animatam; ex nimia enim contentione dolet caput, non cor, delirantibus adhibetur medicina in cerebro, non in corde. In brutis imperfectioribus est quid aliud vices cerebri supplens. Objectum illius adæquatum sunt omnia objecta sensuum externorum eorumque actus, ut patet in somniantibus;

tibus; actus item proprii, supra quos saltem imperfectè se poterit reflectere; objecta quòque quædam alia à sensibus externis insensata v. g. ratio convenientiæ vel disconvenientiæ, proportio colorum &c. quorum species probabiliùs infunduntur brutis ab auctore naturæ, utpote necessariæ ad conservationem vitæ & propagationem generis.

XX. APPETITUS SENSITIVUS est *potentia vitalis, materialis, quæ affectivè fertur in objecta tantùm per sensationem externam & internam cognita.* Datur in omni animante; & sicut in homine est duplex cognitio, sensitiva & intellectiva, sic in eodem est duplex appetitus sensitivus & rationalis, quorum prior sæpe contra rationis advertentiam & præscriptum, citraquæ omnem voluntatis & appetitus rationalis consensum fertur in objecta sensibilia; Appetitus hic sensitivus reunicus est, officio multiplex; alius enim dicitur concupiscibilis, pro ut fertur in bonum secundùm se, sive illud sit arduum, sive non; & hujus actus sunt sperare absens, gaudere de præsentem, dolere de absente. Dicitur irascibilis, pro ut fertur in bonum arduum ut arduum, vindicativè tollendo impedimenta ad fru-